

JACOBUS PHILIPPUS GENTILE

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS NOVARIENSIS

SS. D. N. PII IX. P. M.

PRÆLATUS DOMESTICUS, ET SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS

REGIS NOSTRI AUGUSTISSIMI

AB ELEEMOSYNIS ETC.

Universo Diœcesis Clero

Munere quo obstringor gravissimo, ut nemo non scit, qui rem velit suis ponderare momentis, studio quo Dei beneficio maxime efferor ad tuendam eorum existimationem quos amore diligo paterno, maximique duco, a quibus ceterorum pendet salus, impellor hodierna die, Venerabiles Fratres, ut vos alloquar de re, quæ semper fuit plurimi apud eos, qui animum induxerunt, tanti plerumque religionem haberi quanti sunt, qui officium sacrum gerunt, ministrant. *Peccata populi mei comedent*, inquit Propheta Osea, *et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum; et erit sicut populus sic Sacerdos* (1). Jure a nobis postulatur morum integritas, et nulla tempora, ut ut res in præceps ruat, patiuntur sacrum virum iis carere virtutibus, quibus debet, quo ita dicam, creditam multitudinem præire. Nobis populi salus mandatur, et omnes opus

(1) Cap. 4. v. 8. 9.

urgere debemus, qui in Ecclesiam Sanctam Dei sumus cooptati; et res postulat, ut nemo non videt, doctrinam, prudentiam, sanctitatem. *Quomodo enim*, ait S. Ambrosius, *observari potest a populo, qui nihil habet secretum a populo, dispar a multitudine? Quid in te miretur, si sua in te recognoscit? Si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? Si quæ in se erubescit, in te quoque, quem reverendum arbitratur, offendat* (1)?

. Animis hæc nostris, V. F. numquam non obversentur, hæreant, bene penitus defigantur. Si enim eorum oculi, qui potissimum hodierna die ore inhianti nos, nostraque inspiciunt, nihil offendant quod bono sanctoque viro abhorreat, nostræque sit absonum dignitati, vix dici potest quantæ Dei gloriæ et fratrum emolumento simus futuri. Teterrimus animarum hostis Sacerdotum utitur pravitate in aliorum perniciem, et si hæc obvia sint arma, cetera pene abjicit; si forte pastores in gregem bacchantur, actum est. Horret animus referre quanta hinc vulnera inflicta, quantum dedecoris inustum Ecclesiæ Sanctæ Dei, quanta sæpenumero ingruerit clades, cum contra *nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino Ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur* (2).

Attamen ne plurimus sim, cetera missa facio, et unum moneo, obtestorque, memoriæ revocetis monita, quorum pleni sunt libri sacri, pleni Ecclesiæ Canones, plena vetustas *præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem* (3): monita, quæ hoc præsertim tempore menti sunt penitus infigenda, ut prudentissime, et ea, qua par est, ratione cum mulieribus agamus. Si quid in eas Charitas postulat, ut sæpe contingit, necessitas cogat « *nam et eas invisere ægrotantes et solari lugentes oportet* (4), id operam date, ut et opere et verbis emineat animi castitas. Subeat, Fr., Isidori monitum, qui nos in præsentiarum ita alloquitur, et numquam illius verba

(1) Lib. de Sacerd. (2) Trid. Sess. 22. cap. 1. de Ref.
(3) Ad Hebr. 13. 7. (4) S. Amb. lib. 6. de Sacerd.

obruat oblivio: *quod si ut cum ipsis congrediaris necessitas aliqua te obstringat, habe humi oculos dejectos, atque ipsas quonam modo spectandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum animos obstringere et illustrare queant, locutus fueris, statim avola, ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat* (1).

Neque hæc nisi rerum imperitis videbuntur levia, aut tunc solum advertenda si quando res erit cum iis mulieribus, quæ a divo Paulo vocitantur *otiosæ, curiosæ, loquentes quæ non oportet* (2) aut cum illis, a quibus omnino, nisi forte ut convertantur, procul esse debemus, ne earum lenociniis et pravitate illaqueamur, verum etiam cum ceteris, quæ cognatione, necessitudine, sanguine sunt conjunctæ. *Animum quippe,* ita s. Ambrosius, *ipsum ferit ac commovet non impudicæ tantum, sed vel pudicæ mulieris oculus* (3). Magna, Venerabiles Fratres, est hominis imbecillitas, res admodum salebrosa, metus proinde est repagulum bene firmum; videte, ne etiam specie pietatis labamini aliquando. *Non enim minus cavendæ,* ait S. Hippon. Episcopus, *quia sanctiores* mulieres *fuerint, nam quo sanctiores, eo magis alliciunt, et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis.... Noverint spirituales, quod licet carnalis affectio sit omnibus periculosa et damnosa, eis tamen periculosa est magis, maxime quando conversantur cum persona, quæ spiritualis videtur.* Labitur paullatim custodia, major inde libertas, magis magisque dissolvitur animus; scriptum est enim: *qui spernit modica paullatim decidet* (4). Tum præceps forsan itur, et *vel etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de cordibus* (5). Habemus luctam, habemus discrimen, quod qui fugit unus vincit, et hac de causa audimus sacram scripturam, audimus viros sanctissimos identidem commonefacere, ut semper a mulieribus timeat animus, ne ipsæ nostra terant limina, ne frequenter saltem sit earum aspectus: *averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit* (6). *Colloquium enim illius quasi ignis*

(1) Lib. 3. Ep. 248.
(2) 1a ad Tim. 5. 13.
(3) Lib. 6. de Sacerd.
(4) Eccl. c. 19. v. 1.
(5) S. August.
(6) Ibid. 9. v. 8. 9.

exardescit [1]. *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum* [2]; et s. Hieronymus Epist. ad Ocean. scribebat: [3] *prima tentamenta sunt Clericorum fœminarum frequentes accessus: quid tibi cum fœminis qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico et in agro... graviter lacerabunt, si contra depositum fidei cum fœminis habitare contendas.*

Non me latet, idque acceptum refero Deo optimo maximo, eique gratias et ago et habeo, plurimos ex vobis esse, Venerabiles Fratres, quibus tanta inest virtutis castitatis sollicitudo, ut merito sint ceteris proponendi, quos intueantur, ut de iis dicere aliquo modo possim, quod de Romanis ajebat Apostolus: *gratias ago Deo meo per Jesum Christum.... quia fides vestra annuntiatur in universo mundo* [4]. His maxime lætor, gratulor, animo hos omni amplector, et pergo hortari, ut non deficiant. Sed ut pro virili parte impedimenta, quæ nonnullis obversantur, evellam, sinant aliqui, ut mea eos compellat oratio, mihique ne desint, omni ope nitenti, ut auferam offendicula quæ illorum officiunt dignitati: hæc enim iis, qui adversantur, veluti arma præbent, quibus utuntur in sacros viros, et quod, dictu horribilius, tanta est animorum levitas, tantaque malitia, ut in religionem ipsammet sanctissimam contorqueant, ut nemo vestrum ingenti cordis mœrore hac nostra tempestate non videt. Nec mirum, inquit s. Gregorius, *admonendus est proinde Clericus quatenus sic vivat, ut exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne si quid in illo juste reprehenditur, ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravetur* [5].

Jam vero more comparatum est pluribus in locis adsumi mulieres in consortium seu servitium, quæ legibus gravissimis et sanctissimis vetantur, nullamque a nonnullis rationem haberi, hebescere veluti effætos ætate Canones, quos Ecclesiarum præsules sartos tectosque voluere. Sane jam alias contigit arguere, criminari hunc morem, quem abusum jure dicerem, et Canones, Synodos, Patrum sententias obtrudere, nunc vero, ne videar meo deesse muneri, nimium ne sim remissus, elatius efferam vocem, et ea proinde, qua par est,

(1) Eccl. 9. 11. (2) Ibid. 11. 12. (3) Epist. 10.
(4) Cap. 1. v. 8. (5) Hom. 17. in Evang.

utor libertate. Ea igitur qua valeo auctoritate jubeo, ut si quem pigeat homines ad famulatum adsumere, quod a nonnullis fieri compertum est, qui nomen præ ceteris suum magni faciunt, illæ saltem eligantur mulieres, quarum ætas, pietas, gravitas auferat suspicionem quamcumque. Mulier, qua in re familiari, utitur Curio aut Sacerdos sit ætate jam gravis nempe annorum quadraginta ([1]): sacro intersit frequenter verbo, sacramentis sæpe utatur, bene apud populum audiat, honesto sit loco orta, illius cui inservit, pietatem, religionemque æmuletur. Si res contra erit, utriusque periclitabitur fama et conscientia.

Ætatem vero dum memoravi, haud sum oblitus rationem habendam earum, quæ sanguinis propinquitate obstringuntur; id enim ab Ecclesia animadversum comperio. *Omnibus modis*, ita Concilium generale Nicœnum, *interdicit Sancta Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater, aut soror, aut avia, aut amita, vel matertera sit. In his namque solis personis, et harum similibus, omnis quæ ex mulieribus est, suspicio declinatur. Qui autem præter hæc agit, periclitabitur de clero suo* ([2]). Attamen exemplum illud sit omnibus insculptum Augustini, qui, ut in ejus vita scribit Possidius, *nec cum sorore habitare consensit dicens: quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* ([3]). Paucula verba, sed magna, et satis perutilis sententia! Non raro enim usuvenit, ut tametsi nihil a parentibus sit pertimescendum, Ecclesiasticorum interim limina terant nonnullæ et ostiola eorum ventitare audent, quæ melius et securius abessent.

Non me præterit hic locorum multa jactari: rei familiari opportunam magis mulierem, minoris parari, adolescentem magis labori idoneam, et potissimum quæ usui sunt ruri, primam postulare ætatem, eas quæ inserviunt moribus perhonestis exornari, ætati jam maturæ senectutem veluti instare, binas proinde retinendas, aut alteram ejiciendam; non deesse qui integre sancteque versantur cum juvene, una esse domi parentes. Non me fugit hæc atque alia obtrudi, sed scio multos decipi specie

([1]) Synodus Diœc. part. III. c. I.

([2]) Can. 3. ex vers. Isid. Mercat.

([3]) Cap. 86.

quadam veritatis, et in sententiis proinde Ecclesiæ legum, et Patrum placitis perseverare totis artubus contendam, quæ omnia apud viros cordatos majoris sane sunt auctoritatis, quam quædam ratiunculæ vel forsan obsoletæ. Hinc Tridentinum: *Ut ad eam quam decet continentiam ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit, prohibet quibuscumque Clericis ne... aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra domum detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur* (1). Auctoritati tamen preces adjungo, enixeque oro unam ut sectentur rationem, necessitatem suis obstringant terminis, quos ratio constituit, mali etiam speciem avertant, et sic omni ope contendamus, ne parvulorum clamor seu sanguis apud eum clamitet aliquando, cui Sacerdos adstabit præ ceteris timore perculsus. Quo enim quisque magis in fastigio minor ipsi licentia, et væ illi, qui obfuerit fratri! Quod cum semper metuendum, cavendumque sit, ut nemo vestrum ignorat, tum maxime hac nostra tempestate, qua multorum effrænata audacia in Religionem nostram ipsammet grassatur, et quid turpius, Fratres mei amatissimi, quam nostra addi peccata, nostra scandala, nostra vulnera vulneribus, quæ quotidie infliguntur Matri omnium communi amantissimæ, cujus in sinu singulari Dei beneficio nati sumus et alti. Hac cogitatione territi, et animo plane perculsi, haud diutius hanc rem tam exitiosam magis progredi patiendum esse vos ipsi probe cognoscitis, et ego efficiam ut quocumque possum modo obsistam, Ecclesiæ præscriptiones hebescere non sinam, et si preces et monita, quod absit, erunt frustra, ad alia, quæ suppetunt Episcopo, media validiora deveniam (2). Et si quis gravabitur morem Ecclesiæ gerere, seque a fæminis illis avellere, quas invitis legibus contra fas et decus Sacerdotum domi retinere audeat, pœnarum non erit

(1) Sess. 25. de Ref. c. 14.

(2) *Supradictorum omnium cognitio, non ad archidiaconos, nec decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura judicii, et sola veritate facti inspecta procedere possint.* Trid. Sess. 25. de Ref. c. 14.

immunis (1). Vicariis, Pro-Vicariis, Diœceseos Curionibus omnibus gravissime committo, ne unquam desit eorum sollicitudo, charitas, sollertia, animum ne remittant in re tanti momenti. Moneant primum, preces admoveant, corripiant, minentur, tandem reluctantes deferant. Compertum est aliquos fore, quibus id molestum, sed numquam non leve, quod in publicum bonum, Sacerdotum decus, Dei gloriam vertitur; et *si quis,* inquit ad Thimoteum Apostolus, *aliter docet, et non acquiescit sacris sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, qui secundum pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem* (2). Qui vere sapiunt, qui nolunt esse permolesti, omnia posthabebunt, et id præstare satagent, ne amplius Ecclesiam matrem dolore perfundant.

Subeat cuique vestrum, Dilectissimi Fratres, officium nostrum, conditio, muneris sanctitas: subeat arctissima illa necessitas honestandi dignitatem. Videte ne igni ignem subdatis, ne infirmitas nostra in periculo versetur: in viis versantibus non est defuturum auxilium, in precipitiis, quæ sponte sua quis adierit, denegabitur. *Inveni amariorem morte mulierem,* inquit Ecclesiastes, *quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius: qui placet Deo effugiet illam; qui autem peccator est capietur ab illa* (3). Et s. Hieronymus ad Nepotianum: *Ancillas tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina. Periculose tibi ministrat cujus vultum frequenter attendis.*

His sedulo perpensis multa erunt levia quæ graviora videntur, multi enim specie officii, necessitatis, amoris, charitatis decipiuntur. Nulla sane tanta vis, quæ possit cogere sacrum ministrum, Christi imitatorem, ceteris præpositum, ut iter ad salutem præat, ibi ut degat vitam, ubi quotidie periculo objectetur. *Quid tibi necesse est,* his omnibus finem facio verbis jam sæpe

(1) Conc. Trid. sess. 25. c. 14.
(2) 1 c. 6. v. 3. 4. 5.
(3) 7. v. 27.

memorati d. Hieronymi: *in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut vincere aut perire* ([1]).

Virgo beatissima, *quæ meritorum verticem super omnes angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit* ([2]). Ipsa quæ antiqui serpentis caput virtutis pede contrivit, et tota suavis est, et plena gratiarum, Ipsa eo, quo solet, materni animi affectu præsentissimo suo patrocinio omnes nos in sortem Domini vocatos a turbolentissimis, quibus nostra debilitas jactatur, tentamentis eripiat, eorumque conatus compescat, atque dissipet, et sic luctum nostrum in gaudium convertat.

Hæc sunt, V. Fr., quos omni amore prosequor, maximique facio, quæ moneo, atque vehementer hortor, ut Sacerdotum pietas, animi integritas, Sacerdotii decus, populi salus hac nostra in Diœcesi magis magisque in dies foveatur atque augescat. *Servate in moribus vestris castæ et sanctæ vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis, imitamini, quod tractatis; quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis* ([3]). *Et sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* ([4]).

Dat. Novariæ Idibus Novembris 1851.

✠ **JACOBUS PHILIPPUS** Ep.

Hyac. Morera a secretis.

([1]) Epist. 4 de vitando suspecto contubernio.
([2]) S. Greg. P. de exposit. in lib. Regum.
([3]) Pont. Rom. in Ordinat. Presbyt.
([4]) Ad Corint.

Episc. Typ. Miglio

14



